



Dispositionem itaq; tabularum æquationum lineis numeri, signis communibus gradibusq; centrorum, & argumentorum inseruentibus primo numerorum ordine positis similes esse ferè in singulis certissimus. Signa aut partē in fronte partim etiā in calce tabularū posita inveniuntur. Gradus uero eorundē in lineis numeri descendendo ascendendoq; augētur. In ceteris uero ordinibus numerorū, ut uideri potest in titulis iuxta exigentiā dissimilis earū reperitur dispositio, & ut particulatius rem intelligas, in tabula æquationum octauæ sphaeræ tres solum tabulae descriptæ sunt. Aequationes enim signis & gradibus correspondentes ē directo tantum ad quartam circuli partem sunt compositæ, hoc est ad 3 signa communia. Tabulae tamen illæ & æquationes omnibus signis accommodantur, ut de numero signorum ibi apparentium constabit. In superiori enim parte numeri signorum tali ponuntur ordine 0.1.2.6.7.8 sed in calce tabulae sic ordinantur, 3.4.5.9.10.11. Sub quibus ascendendo uel descendendo ē directo graduum linearum numeri æquationes ponuntur, ut ad sensum tabulae habent. In tabulis autem æquationum Solis, Lunæ ac planetarum aliarum 9 tabulae ponuntur partiales, quæ in una zodiaci medietate extensæ sunt, habentes singulae binas lineas longitudinales, cum gradibus descendendo uel ascendendo crescentibus. In fronte uero tabularum de 0 usq; ad 5 inclusiue, & in pede similiter à 6 ad usq; 11 signorum numerus conscriptus est. Ex opposito etiam graduum æquationes continue scribuntur, in Solis quidem argumenti tantum, in Lunæ autem & aliorum planetarum æquatio centri, minuta proportionalia, in Lunæ iterum diuersitas diametri. In reliquorum uero tabulis longitudines adijciuntur longior, scilicet ac propior, item differentia æquationum quæ non aliud sunt, quam excessus æquationis maioris super minorem, inscribuntur cum titulis adde uel subtrahere. Sic etiam differentia titulos. A quidem additionem designans, M uero subtractionem in extremitatibus linearum suarum gestare solent. Hic aduertendum quòd ubicunq; in æquationum tabulis paragraphus occurrit, illic in differentia tam in superiori quàm in inferiori margine duæ literæ, uel A & M, uel M & A una scilicet super aliam positæ inueniuntur, quarum superior semper æquationibus & differentijs supra paragraphum positis, Inferior autem eisdem infra dictum descriptis, inseruiet, hac permissa itaq; declaratione Tabulae æquationum patebunt intuenti, quarum usus talis est. Quodcumq; signum in tabulam mittendum fuerit in fronte eius repertum, tunc gradus completi currentis signi in linea numeri sinistri lateris descendendo quærendi sunt, & angulus eorum communis æquationem adducit optatam. Differentiam uero æquationis eius linea collateralis ostendit, & tituli utriusq; in fronte reperiuntur secundum quos partes proportionales residuis correspondentes regulari oportet. Si autem pes tabulae signo mittendo deseruiret, haud secus cum residuis gradibus in dextri lateris linea ascendendo angulus communis, tam æquationem, quàm differentiam amplectens inuestigatur, nam eo casu linea superior collateralis angulo communi differentiam ipsam, sicut ima tabulae planities titulos elargitur congruos.

De ueris motibus.  
Propositio VIII.

Locum augis communis ex qua propria cuiusq; planetarum aux elicitur ad tempus quodlibet inuenire.



Abeas primo motum augium & stellarum fixarum, per 1 ad tempus propositum. Similiter motum accessus & recessus octauæ sphaeræ ad idem tempus, demum octauæ sphaeræ motum mitte in tabulam æquationum

tionum